

Viro Summe Reverendo atque Eruditissimo  
 Jo. Salomoni Semlero,

Th. D. et V. P. Ordini longe celeberrimo,

S. P. D.

Carolus Andreas Zel.

Mitto TMB3 Partem I. Catalogi Bibliothecae Christii, Vir celeberrime, idem de reliquis facturum, quamprimum prodierint. Quod nuper memini te scire de Italia, id fateor me turpiter neglexisse. Poteris vero illuc locorum literas tuto mihi credere, qui mercatorum nostrorum ope sapienter, Florentiam, Mutinam, Romam, Venetias, Bononiam, mitto literas. Atque istud quidem nullo tuo, sed neque meo impendio fiet, nam uter liberali favore illorum, quibus est cum regionibus eius perpetuum commercium. Ellenbergerum laudasse me in Novis nostris non miraberis, Vir Summe Reverende, si tibi in aurem dixero, humanissima Epistola a me petisse, ut ne quid gravius de suo illo libro dicatur. Precibus ipsius hoc libentius laudem dedi, quod videtur tamen diligens homo esse, et si illae sectionum sectiones, et demonstrationis methodus eo loco plane inutilis, mihi vehementer displicent. Quod nuper meae de Humanis, deque poesi, putas esse aliquid, facis tu quidem pro tua in me voluntate: olim forte meliora, doctioraque, ubi Deus pacatam profuerit Saxoniam, in qua Musae timidiusculae vix sibilant. Vale, Vir celeberrime, et me ama. Scrib. Lipsiae MDCCCLVII. d. IX. Jun.

Quid si novorum librorum recensioibus Acta Eruditorum ornare, atque  
Miscellaneis etiam Lipsiensibus, quae proximum continuabuntur, aliquid commentatio-  
num Tuarum inferere, rogatus a me, liberaliter deaveris. Nam tu, crede mihi,  
aut gratius facere mihi quidquam possis, aut Eruditorum Actis honorificentius.  
Librorum recensendum tibi prorsus optatum relinquo, quod semper libentissime iudi-  
cium tuum sequar. Vale iterum, Vir S. R. et precibus istis meis succensere noli.